

que Sacramentis conferendis, sequantur opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore: Neve penitentes ipsorum fidei animam suam committentes admonere cessent, ut in penitendo inchoata saltem dilectionis Dei incant viam, qua sola secuta sit: graviter peccaturi in hoc salutis discrimine, vel eo solo quod certis incerta proponant.

46 XVIII. Afferenda hic essent ad id magis comprobandum Scripturae, ac Patrum auctoritates: at eas de industria omittimus, cum legere quisque illas possit apud satis obvios auctores, qui easdem collegere. Videantur Carolus Winasse, Laurentius Berti, auctor de Sacramento, Daniel Concina, alique doctissimi Recentiores, qui hanc controversiam in suis operibus Theologicis fusim petrafractant. Nobis enim fat est argumenta indicare, quae Patres, antiquioresque Theologi suggerunt. Primum itaque sit. Lex ipsa naturae postulat, ut homo, qui peccando pervertit divinae Providentiae ordinem, Deum offendit, ejusque inimicus evadit, dum eidem Deo reconciliari desiderat, ita in se ipsum redeat, ut serio, atque efficaciter proponat, restitutum velle turbatum per ipsum Divinae Providentiae ordinem, compensatam Deo illatam injuriam, ac conciliatam iterum sibi Dei amicitiam. Quis enim dicat, conversum ad Deum peccatorem esse, si servatum nolit stabilium a Divina justitia ordinem, si compensare pro illata injuria recuset, si denique inire cum Deo amicitiam exire non optet? At efficaciter non vult servatum constitutum ordinem, qui amare saltem non incipit Deum tamquam totius justitiae fontem, scilicet tamquam eum, per quem totius rectitudinis ordo constitutus est, si non incipiat diligere ipsum tamquam summum bonum, cum recluso ordo exposcat, ut Deus super omnia toto corde diligatur: neque pro illata Deo injuria vult efficaciter compensare, qui sublatum Deo debitum amorem, ac creaturis tributum, eidem Deo iterum restituere efficaciter non constituit; qui vero Deum amare non incipit, quae summum bonum est, non vult profecto efficaciter eidem debitum restituere amorem: nec deum inire cum Deo amicitiam efficaciter desiderat, qui eum initiali saltem amore amicitiae non diligit. Deinde Scripturae in homine penitente exigunt: Ut revertatur ad Deum in universo corde suo, & tota anima sua, 3. Regum 8. atque 1. Joannis 3. ajunt Deum, qui non diligit, manere in morte. Quomodo vero in universo corde suo, & in tota anima sua revertas ad Deum homo dici potest, si saltem amare ipsum non incipiat? Scimus enim non nisi per amorem cor & animam hominis ad Deum revertit. Quomodo deinde novam vitam inchoasse dicitur, ut Concilium Tridentinum in penitente postulat, qui non diligendo maneat in morte, si saltem per initium charitatis non incipiat diligere Deum? Reliqua facile patent ex dictis.

48 XIX. Ex his, quae dicta sunt, facile colliges, amorem, qui requiritur in penitentiis, secundum Tridentinam definitionem, non esse amorem concupiscentiae, & spei, sed amorem amicitiae, ac saltem charitatis initium. Id enim cum ex eo constat, quod amor concupiscentiae spem praecedat, ut diximus, & quod Concilium praeter fidem, & spem, aliud virtutis actum exposcat: Quo diligere incipiat Deum tamquam justitiae fontem, tum etiam ex eo, quod propositum novae inchoatae vitae involvere secum debeat efficace desiderium servandi primum, & maximum mandatum, diligendi scilicet Deum super omnia. Efficax autem hujusmodi desiderium, aut dilectionis initium est, aut dilectionem ipsam secum necessario trahit, per quam homo dicitur novam inchoare vitam. Non est ergo audiendus Honoratus Tournely, qui de amore concupiscentiae, & spei locutus fuisse Tridentinos Patres affirmat, nec etiam P. Gabriel Antoine, qui postquam probavit necessitatem initii cha-

ritatis, ad declinandam fortasse aliquorum invidiam, concludit, sufficere amorem, quo Deus diligatur praecise ex motivo spei, seu concupiscentiae.

XX. At inquit in Sacramento Penitentiae hominem ex attritu fieri contritum, ut universim Theologi affirmant; id vero dici non potest, si ex motivo charitatis concipi debet dolor praerogatus; tunc enim ante absolutionem contritus homo esset. At audiant doctissimum Theologum Alphonsum Valdum, qui in Candelabro aureo, tit. de attritione q. 9. rem ita exponit: "Quotiescumque invenitur in Doctoribus, quod attritio sit contritio, vel attritus cum Sacramento sit contritus, intelligendum est de attritione perfecta, de illa nimirum, qua propter Deum pure dolemus de peccatis, sed non fervide, & super omnia, ut par erat. Audiant Joannem Virgurem Instit. de Sacramento. Penit. cap. 16. §. 4. tit. de Contritione: Si attritio dicitur dolor de peccatis voluntarie assumptus propter timorem servilem... ut scilicet sit derisatio peccatorum propter metum poenae, vel propter Deum non summe dilectum; tunc attritio nunquam sit contritio: nec ex attritu aliquis sit contritus, nisi ad hunc sensum, quod post attritionem venit contritio: sicut dicimus, ex mane fit meridies, & ex injusto fit justus consecutive: sic postquam aliquis fuit attritus, fit contritus, attritione desinente propter aliud principium, sive objectum superveniens, quod est timor filialis, vel Deus summe dilectus; & haec fuit opinio S. Thomae in 4. Si vero attritio dicatur dolor voluntarie assumptus propter Deum summe dilectum, sed non cum sufficienti, & requisita intentione, sive gradu, puta, quia non movet ex toto corde, & ex toto mente &c. sicut cum motus naturalis a principio fit remissus, & in fine velocissimus, & tamen est idem motus; qui successive perficitur: sic attritio ista per continuationem, vel applicationem absolutionis fit contritio: & sic intelligitur id, quod a Doctoribus communiter dicitur, quod virtute clavium ex attritu fit contritus."

XXI. Sed iterum ajunt, qui Deum amat, spiritaliter vivit: premissio ergo amore Dei super omnia, quid Sacramentum praestabit? Qua ratione penitentia vere dici Sacramentum mortuorum poterit? Respondet Auctor Summae Alexandrinae, varios esse vitae spiritualis gradus: Habet illa exordium suum, progressum, perfectionem. Amor vitae cordis est amor inchoatus est initium vitae spiritualis: amor perfectus est progressus vitae spiritualis: secundum illud S. Augustini: Inchoata charitas inchoata justitia est propecha charitas propecha justitia est: perfecta charitas perfecta justitia est: Peccator itaque imperfecte contritus, sive attritus, Deumque, ut omnis justitiae fontem, diligere incipiens, vivit vita inchoata, quae dispositio est ad vitam perfectam est charitate perfecta, & a Sacramento ipsam conferente procedentem. Duplex hujus vitae distinctionem approbavit Pius V. Sanctissimus Pontifex, cum Michaelis Baii propositionem sexagesimam tertiam his verbis conceptam inter alias damnavit: Illa distinctio duplicis vivificationis, alterius qua vivificatur peccator dum ei Penitentiis, & vitae novae propositum, & inchoatio per gratiam inspiratur; alterius, qua vivificatur qui vere justificatur, & palmes vivus in Christo rite efficitur, commentitia est, & Scripturis minime conveniens iudicatur. Et quamvis ante susceptionem Sacramenti, seu ante Absolutionem Sacramentalem vivat Penitens; seu vita inchoata & imperfecta, cum imperfecte contritus est; seu vita perfecta, cum perfecta contritionem habet; Penitentiam nihilominus Sacramentum est mortuorum, quia peccatores vivificat per dispositionem, vel partes sibi praevias, sibi que connexas, qua

qua etiam efficaciam ab ipsa mutantur.

51 XXII. Cum itaque valde probabile sit, hominem ex motivo charitatis dolere oportere de peccatis, ut sufficienter dispositus sit ad justificationem obtinendam in Sacramento Penitentiae: & cum haec tutior sit via, quae ad salutem peccatores perducit, manifestum est post Innocentii XI. decretum, Confessores omnes teneri ad hortandos penitentes suos, ut pro viribus contentur dolorem ex hoc motivo concipere ante quam absolutionem recipiant, secundum monitum S. Caroli Borromaei in edita pro Confessariis instructione. Ad tollendos vero hac de re scrupulos, animadvertendum duximus, ex motivo charitatis detestari peccata etiam illos, qui doleant ex eo, quod a Deo separari timeant, ejusque beatifica visione privari. Et enim Deum tamquam omnium justitiae fontem gratis amore casto diligunt, ut docent S. Augustinus serm. 78. alias 19. de verbis Apostoli cap. 10. quia qui amant videre Deum suum, timeantque hac visione privari, divinam justitiam amant, sive Deum tamquam omnium justitiae fontem. Item qui Deum diligunt ut bonum suum, ac aeternam suam beatitudinem, illum amicitiae, non concupiscentiae desiderio expetunt; nam non depriment Deum ad commodum suum, quod amoris concupiscentiae proprium est; sed eum ita diligunt, ut se illi omnino subjiciant, illi obediant, & in illo tamquam in suo ultimo fine requelescant. Idem etiam constat ex S. August. in Pr. 43. ubi ait: Exigitur ut te, ut eum gratis colas, non quia dat temporalia; sed quia praestat aeterna. Hinc S. Bernard. serm. 8. de diversis invicte probat, mercenarium non esse hominem, qui Deum diligit ut finem suae beatitudinis, & qui paterna inhiat hereditati, eamque toto affectu expetit, & expectat, quem nimirum filii mercedem esse, non mercenarii, Propheta testatur, inquit: Cam dederit dilectis suis somnum, ecce haereditas Domini, filii merces &c. Nam anima Dei amore, sive charitate mota tota, inquit, pergit in Deum, unicumque ei, ac perfectum desiderium est, ut introducat eam Rex in cubiculum suum, ut ipsi adhaeret, ipso fruatur. Et Hugo a S. Victore lib. 2. de Sacram. cap. 8. perspicue demonstrat, perurum Dei amorem non excludere desiderium Dei, quatenus beatitudo nostra est, sed necessario hujusmodi desiderium involvere, quia diligere nil aliud est, quam illum velle habere, quod diligimus. Item, qui dolent, quod Deum, ut par est, non diligant, ac magis ipsum diligere cupiunt, jam Deum, ut omnis justitiae fontem diligere incipiunt; ac proinde sufficienter contritii censendi sunt ad absolutionem Sacramentalem recipiendam. Nam desiderium amoris initium amoris est. Hinc Guillelmus Parisiensis lib. de Sacram. Penit. cap. 6. inquit Qui querit amare Deum, utique jam amat Deum, licet nondum ex amore, quem querit. Cum enim querat amare Deum, utique desiderat amare Deum: qui autem desiderat, amat. Amat ergo amare Deum, & non amat illud, nisi propter Deum. Tandem, qui firmum & efficace propositum habeant non peccandi de cetero, etiam si Deum amare firmo proposito secum ipsi constituant. Proponunt enim servare mandata Dei, & ac proinde servare primum, & maximum mandatum, amandi scilicet Dominum Deum ex toto corde; illum igitur amare incipiunt. Nonne enim vero fur est quisquis gerit furandi propositum? Nonne adulter est quisquis firmum adulterandi propositum concepit? Nonne avarus, sive amator pecuniae est, quisquis firmo proposito decrevit pecuniam amare? Eadem igitur ratione Dei amator est quisquis firmo proposito decrevit Deum amare. Quisquis autem peccatum sincere detestatur, & deinceps non peccare decrevit. Deum amare sincere desiderat ac firmiter decernit. Quomodo enim illum veteris amoris penitenter, qui novo amore succendi non incipere? Quomodo creaturam cupiditatem detest-

taretur, qui cor suum non devoveret Creatori? Quomodo diceret, Iniquitatem odio habui, & abominatur sum; qui unam non diceret, Legem autem tuam dilexisti?

XXIII. Haec quantum ad cordis contritionem, quibus unum adhuc addendum superest, ut recte Lectores intelligant, quae minus tuta in secundo articulo reputantur. Num. 16. Auctor ex Gobat, & Lessio ait, sufficere ad justificationem in hoc Sacramento etiam remississimum dolorem, dummodo versus dolor sit ex motivo supernaturali. Si dolor hujusmodi peccati affectum excludat, non dubito, quin sufficiat, cum quandoque sensibilis apparere possit dolor remississimus, quia motivum remotissimum appareat nocuum sensibilis, re tamen vera, talem potest in animo, & ratione dispositionem habere, quae peccati affectum excludat. At non adeo facile probanda in usu est hujusmodi doctrina, cum gravem Tridentini Patres dolorem exposcant, cumque peccatum mortale, quod maximum malorum est, gravissimum in sui detestationem dolorem requirat. Quamobrem opinio illa de remississimo dolore suspecta esse potest.

XXIV. In eodem articulo num. 91. ait Auctor, non peccare penitentem contra integritatem Confessionis, si uni Confessario mortalia, & postea alteri bonam opinionem de ipso habenti, nimia reverentia affectus, constetur sola venialia. Stat utique Confessionis integritas, sed cum in hac vita Penitentis graviter peccandi periculo se exponat, hujus doctrinae usus non probandus, sed damnandus est. Audiat Auctor Summae Alexandrinae de Sacram. Penit. num. 102. ubi ait: Hypocritis reus est, & periculo peccandi mortaliter se exponit, qui duos eligit Confessarios, quorum uni venialia duntaxat, alteri vero lethalia peccata aperiat. Peccat enim ille contra sinceritatem Penitentiae Sacramento debitam; & inanis gloriae studio inflammatus, suae potius famae, & existimationi, quam animae saluti, & gloriae Dei consulit: ac praeterea exponit se periculo frequentioris prolapsionis in peccata mortalia, si Confessarium adeat, vel imperitum, vel cui est ignotus, qui proinde opportuna penitentia, & satisfactionis remedia non applicet; canon. Consideret, dist. de Penitent. Qui autem ita est affectus, ut Confessario suo mortale peccatum non aperiret, si alterius Confessarii copiam non haberet, proculdubio peccat lethali.

XXV. Num. 127. probat Auctor P. Vivae, aliorumque opinionem, qui ajunt, circumstantiam consuetudinis, per se loquendo aperiendam in Confessione non esse, sed per accidens tantum, dum scilicet de ea penitens a Confessario interrogetur. At doctrina haec falsa visa est nostris Theologis, ac omnino improbanda. Haec enim circumstantia peccati gravitatem plurimum augeat. Nam Christus Dominus Lucae 11. de recidivo loquens ait: Et sunt novissima hominis illius peiora prioribus, & S. Thomas 1. 2. quaest. 88. art. 7. probat, eum, qui peccat ex habitu, & consuetudine, peccare ex certa malitia, & in 4. dist. 22. quaest. 1. art. 3. refulens contrariam opinionem, inquit, Sed ex hac opinione videtur relinqui, quod non possit plene recidivum morbo remedium adhiberi: multa enim expediunt ad spirituales salutem recidivantis quo non sunt necessaria innocenti; ut scilicet circa eum major cautela adhibeatur. Et sane an non penitens ad Sacrum Ministerium accedere tenetur, tamquam ad Doctorem, ad Judicem, ad Medicum? Quomodo ergo muneris satisfaciens suo, si consuetudinis vitium non aperiat Doctori, qui salutariter eum instruat, Judici, qui aequum de eo sententiam ferat, Medico, qui salutarem medicinam praescribat? Nisi enim Penitentia Ministro status Penitentis apprime sit cognitus, is a medicis officia rite, & salubriter exercere non potest.

test. Vitiosa ergo consuetudo ad statum peccatoris aperiendum necessario manifestanda est, quod innuere proculdubio voluit Innocentius XI. dum hanc propositionem damnavit. *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati aliquam consuetudinem; ac clarius constat ex nota, quam eidem affinxit Clerus Gallicanus anno 1700. per hæc verba: Falta est, temeraria, in errorem inducis, sacrilegiis favet, christiana simplicitati, Ministrorum Christi iudiciali potestati, Confessionis integritati, atque ipsius Sacramenti institutioni, ac fini derogat.* Ecce cur quæso interroganti peccandi consuetudinem fateri penitens cogitur, nisi quia consuetudo hæc certam malitiam habet, ut loquitur S. Thomas, nisi quia peccatum est Ecclesie clavibus subiciendum, nisi quia morbus est animi, cui Medicus spiritualis apte medicinam designare, ac tribuere debet? Nam quæ peccata non sunt, nec penitens manifestare tenetur, nec adigi ad ea confitenda Confessario potest. Quoniam hic de circumstantia agimus, placet etiam adnotare, & refellere, quod n. 148. scribit de eo, qui circumstantiam speciem mutantem inculpabiliter omiserit, quam ita debeat postea in alia Confessione aperire, ut non teneatur fateri peccatum, si sola declarari circumstantia possit. Quis namque sanæ mentis homo concipiat ferri id rite posse? Quin enim iterum peccatum dicatur, quodnam iudicium de circumstantia ferri potest? Et quomodo circumstantia peccati malitiam explicabit, cui sit satisfactio injungenda, nisi peccatum ipsum declaratur.

XXVI. De Confessionis integritate periculo non caret quæ num. 147. & 143. ejusdem secundi articuli exposita, atque probata sunt: nempe dum scripsit, *non iterandam Confessionem bona fide factam, vel Confessario ita ignoro, & indocto, ut inter veniale, & mortale peccatum discernere nequeverit; imò etsi existimavit veniale quod mortale peccatum esset, vel Confessario surdastro, semidormienti, & distracto, qui aliqua peccata etiam mortalia non audierit, modo in eo nulla penitentis culpa intercesserit.* Nolo hic cum Lucio disputare de speculatione, & num theoricæ sustineri hæc doctrina possit. Usum doctrinæ perniciosum assero, ac non modo non consulendam, sed ne scribandam quidem fuisse ab Auctoribus arbitror, ne apud imperitos vulgata pravam illorum consuetudinem foveret, qui de industria imperitos, aut surdastros Confessarios ad eunt, ut minori cum verecundia peccata fateantur, ut facilius, & quin de dispositionibus necessariis interrogentur, absolutionem obtineant; & ut etiam minima injungatur ipsis pro satisfactione penitentia. Hæc sane indicia cum sint, penitentes aut dispositos non esse, aut saltem parum de dispositione sollicitos, periculi plena sunt. At hæc sunt quæ expositam numeris illis doctrinam fovent. Quomobrem illis in casibus prudentem Confessarium consulere oportere ait penitentes ad iterandam confessionem. Nam quis sanæ mentis homo, qui doctorem adierit pro rei suæ familiaris instructione obtinenda, atque hunc omnino ea de imperitum repererit, alium peritum, & doctum non quaerit? Quis est, qui postquam Judicem adierit pro domesticæ rei causa expedienda, illumque adeo ignarum repererit, ut quæ ipsius causa sit non intelligat, alium Judicem non inquirat, si liceat, qui causa cognita pro justitia decernat? Quis denique erit, qui gravi morbo pressus, dum Medicum advocaverit, qui nec morbum agnoscat, nec qui prescribere aptam medicinam sciat, alium non accersat Medicum peritum, & doctum, qui pro morbi qualitate decernat? An penitentes ad Sacros Ministros accedere tenentur veluti ad Doctores, qui eosdem instruant, & moneant, veluti ad iudices, qui eorumdem cognita de æterna salute causam æquam sententiam ferant, ac debitam satisfactionem decernant; veluti denique ad Medicos, qui ad-

versus animi morbos, salutare, atque aptissimas medicinas prescribant. Quæ cum ita se habeant, quis hominem penitentem, qui ad eum accesserit Ministrum, quem ineptum omnino norit ad salutare instructionem, ad rectum iustumque iudicium ferendum, atque ad debitam ei medicinam designandam, non moneat & consulat, ut doctum adeat, & peritum Ministrum, ut ab eo exposcat salutare iuxta miseram sui conditionem, instructionem, rectum de patris deinceps præcavendis medicinas? Deinde dum penitens se à Confessario deceptum agnovit, an non alium adire tenetur, qui ipsum recte instruat? Dum vero tam ignaro Ministro confessus sit peccata sua, ut mortale pro veniali peccato habuerit, jam scit, se in hoc fuisse deceptum, ac prudenter existimat, se in reliquis quoque deceptum fuisse. Ad surdastros vero, semidormientes, & distractos quod spectat, si penitens dubitet, plura non audivisse peccata, fatentibus omnibus, iterare confessionem debet. At hæc dubitatio non adeo facile excludi potest, ut consideranti pateat; quomobrem non adeo facile vulgata est probanda Auctoris assertio, cum admodum difficile sit penitenti scire, quodnam sit peccatum, quod non audierit; & cum facile opinio hæc ansem præbere possit minus fervidis hominibus adeundi suspectos hujusmodi Confessarios. Hactenus de his, quæ secundo articulo continentur. Paucis nunc addemus circa tertium articulum, qui est de Satisfactione.

XXVII. Satisfactio voluntaria est pœnæ permissio ad compensandam injuriam Deo illatam, ipsiusque placandum, cum firmo proposito peccata in posterum omni studio vitandi. Hanc injungere penitentibus tenetur Sacerdos, pro viribus enim conari debet, ut integrum sit penitentis Sacramentum, quod sine satisfactione integrum proculdubio non esset. Concilium Tridentinum sess. 15. cap. 8. hæc habet: *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus, & prudentia suggererit, pro qualitate criminum, & penitentium facultate, salutaris, & convenientis satisfactiones injungere; ne, si forte peccatis conivæant, & indulgentius cum Penitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, aliorum peccatorum participes efficiantur.* Et S. Carolus Borromeus, in *Instructionibus Sacramenti Penitentia*: *Injungit, inquit, Penitentiam pro culpa, & persone ratione: ita ut superbis humilitatis opera, carnis voluptatem sectantibus jejunia, abstinentiam, cilicium gestationem, aliamque corporis macerationem pro peccati gravitate indicat; in oratione negligentibus, ut singulis diebus mane saltem, & vesperæ orationi vacent; feria secunda, & aliis certis feriis pro defunctis orent; certis item, definitisque diebus devotè visitent Stationales, & præcipue devotionis Ecclesias, & altaria, præsertim in Quadragesima, & in Adventu: Mundi pompas, choræas, aliaque opera satanæ consecrantibus eam Penitentiam imponat, ut in hebdomada mane certis diebus (id quod in singulos dies etiam faciendum esse gravissimè Beatus Chrysostomus monet) sancta meditatione sibi præposita, solemnem illam sponsonem, quam per Compares in Baptismo sancte fecerunt, redintegrent, intime Deum precando; in qua precatione firmè, stabilique animi proposito stant, ut se Christo Domino adherere, renunciareque iterum natque iterum seculi pompis, operibus tenebrarum, & diabolo in primis, cui se adversarios esse, & professi sunt, & profitentur perpetuo.*

XXVIII. Hæc autem penitentia sunt genera à 9 Sanctis Viris accepta, & ecclesiasticæ disciplinæ Interpretibus, quæ pro peccatorum ratione adhiberi etiam nunc poterunt, attentà etiam personarum qualitate.

Ut

Ut Penitens vestium ericarium usu, auri ornamento, convivorum apparatu, vocatione aliquo certo tempore abstinere.

Ut egenibus hominibus cibum suppeditet, ac ministrat, pedes item lavet.

Ut peregrinos pro facultatum ratione hospitio excipiat.

Ut in publica domo, hospitali, locoque pio aliquot dies operam nateat.

Ut visitet, qui in carcere sunt, eosdem coguletur, & cum per facultates poterit, alio certo præscripto tempore, quædam dies in monasterium aliquod, aliumve remotum locum abeat, ubi penitens vivat.

Ut aliquot diebus carnis aut vino item abstinere, itemque cibum, & potum, & carnem, & sabbato jejunet, vel etiam vescatur, solum pane, & aqua potu utatur.

Ut certis diebus, præsertim feria quarta, sexta, & Sabbato jejunet; vel etiam vescatur, solum pane, & aqua potu utatur.

Ut certo aliquo tempore non equitet.

Ut, si facultates suppetant, certam pecunie, aut frumenti, aut vini quantitatem in elemosinam pauperibus Christi conferat.

Ut genibus flexis, aut etiam brachiis extensis in modum crucis, certo tempore, & hora præfinita, ansam crucem, aliamve sacram imaginem in Ecclesia oret.

Ut humi aliquandiu jaceat, cubetque.

Ut flagella certis præscriptis diebus sibi adhibeat.

Ut aliquot dies induat.

Ut religiosam aliquam peregrinationem suscipiat, tandemque conficiat.

Ut statos palmos penitentiales, aliasque penitentiales preces pie recitet, aliquot dierum spatia.

Ut certas Ecclesias, puta stationales, vel præcipue devotionis visitet.

XXIX. Satisfactio itaque pars integralis Sacramenti est; ac suscipienda à Penitente est, ut peccatum in se puniendo Deo satisfaciat. Si pars integralis est Sacramenti, facile patet, non posse à Penitente sine gravi culpa omitti, etiamsi levis sit, vel pro levi culpa à Confessario injuncta. Licet enim venialia peccata, vel mortalia jam confessa non necessaria, sed tantum sufficientes materia sint hujus Sacramenti, tamen positò quod confitenti ea Penitens velit, & Sacramentum suscipere, partes, quas Sacramentum requirit, sub gravi culpa adimplere tenetur. Sunt vero satisfactiones partes Sacramenti, gravitas vero istius obligationis, non à levi, vel gravi satisfactionis materia, sed à Sacramenti natura repetitur, ut observat optime Elizalde. Quomobrem corrigendus Ferraris est, n. 16. oppositum asserens. Et ob eandem rationem improbandum videtur quod n. 22. asseritur de eo, qui sine animo satisfaciendi pro injuncta penitentia opera illa fecerit, quæ injuncta à Confessario fuerant. Nam qui animo non contendat satisfacere oneri à Sacro Ministerio injuncto, atque ita integrum perficere Sacramentum, opus efficit, quod nulla ratione ad Sacramentum refertur; sola enim facientis voluntate ad illud refertur: ergo opus illud integra pars Sacramenti haberi non potest; præsertim cum præsumatur alia de causa ab homine factum, qui secum ipse constituerit alio voluisse tempore pro injuncta penitentia opus illud suscipere.

XXX. Ac multo minus ferri potest, quod n. 34. adstruitur, scilicet imponi posse pro penitentia opus aliunde præceptum. Audiatur Gabriel Antoine de panis, art. 3. q. 3. ubi ait, non posse hæc opera licite imponi, si Penitens possit alia præstare. Quia ex Concilio Trid. sess. 14. cap. 8. Satisfactio, quam imponitur, non fit tantum ad novam vitam custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem.

FERRAR. BIBLIOTH. TOM. VII.

At opera jam aliunde præcepta nequeunt esse ad vindictam, & castigationem peccatorum præteritorum; nam etiamsi nulla peccata commisisset penitens; teneatur illa præstare, nec illis iterum impositis puniri censetur. Idcirco restituito injuria, & damni compensatio, ac fuga occasiois peccandi non sunt satisfactiones vindicative.

Porro Confessarius censendus est imposuisse opus non aliunde præceptum, nisi illud exprimat, vel ex circumstantia colligi queat, nam hæc est rationalis ejus intentio. Quare si simpliciter imponat jejuniun, Penitens non satisfacit jejuniando uno die, in quo ex præcepto Ecclesie, vel ex voto tenetur.

XXXI. Duo quoque alia in articulo de satisfactione supersunt animadversione digna. Primum occurrit in n. 25. ubi existitur ab onere iterandæ confessionis Penitens, qui inculpabiliter, vel si culpabiliter injuncta penitentia oblitus, eandem prætermiserit; sed sufficere asseritur, ut in alia confessione petat sibi imponi aliam congruam penitentiam pro peccatis, quæ confiteci solet. Nam quamquam ratione poterit congruam pro peccatis penitentiam recipere, nisi peccata sua Confessario manifestet? Et quomodo Confessarius causa cognita penitentiam præscribet, ut jubet Tridentina Synodus, si peccata ipsi non ostendantur per eorumdem Confessionem? Tenetur ergo Penitens ille iterare Confessionem; sicuti etiam iterare Confessionem debet, qui penitentiam sibi commutatam velit ab alio Confessario rationabili de causa, cum hic non possit iudicium ferre, nisi causa cognita; cumque debitam pro peccatis vindictam decernere, atque aptam medicinam præscribere nequeat, quin cognita per Confessionem peccata sint, ac status penitentis exploratus; quomobrem dum ab eodem Confessario quoque penitentia commutatio exquiritur; si hic confusum, saltem peccatorum memoriam, ac status penitentis notitiam non servet, etiam ipse cogere penitentem debet ad Confessionem iterandam. Alterum occurrit n. 31. ubi inter causas minuendi penitentiam, jubileum, & Indulgentiam recensetur: id vero jam refutatum est in nostra de Indulgentia appendice. Ac refelli quoque ex eo potest, quia Seraphicus Patriarcha Franciscus, lumine celesti perfusus, intellexit ex 24. millia hominum Assisium confluentium, quatuor aut sex, nisi fallor, lucratos fuisse Indulgentiam illam Plenariam. Debitam satisfactionis exhibendæ Deo certum, & liquidum est, & jure divino solvendum, Indulgentiarum assuetio incertissima; & pauci sunt qui eas assequantur: Debitum autem certum solutione incerta non extinguitur. Rogo ergo benignos nostros Theologos, ut observent, & intelligant, clavium potestatem, Sacramenta, & Indulgentias non ad extenuandas virtutes, nec ad impediendum virtutis exercitium, sed in subsidium imbecillitatis nostræ, & ad fovendam, roborandam, perficiendamque virtutem fuisse à Christo Domino hominibus concessa.

(Quæ per nostras decisiones circa hanc materiam sunt ordinata, ex leg. 17. usque ad 37. part. 1. demonstratur: in eis quæ ad usque tempora publicationis ejusd. p. continentur.)

In hoc articulo Rom. Theologus inter alia capit sub n. 36. eorum opinionem, qui cum Lacroix, aliisque benignioribus Theologis tuerentur sufficere in penitentia dolorem de peccatis ob metum pœnarum temporalium, ut à Deo immisurarum, vel immittendarum; & progrediens asserit ad rem non facere allatum à ne Ninivitarum exemplum. Ast tamen Ninivitarum exemplum ad id affertur ab ipsomet Concilio Trid. sess. 4. & à Benedicto XIV. de Synod. dioces. lib. 7. cap. 13. num. 3. & à Theologis passim, quos inter illud affert practissimus Monacel, in formular. Legal. pract. part. 2. tit. 16. formul. 2. n. 15. editionis Romanae ann. 1706. ubi sub n. 13.

Dd a

di-

dicat, quod dicta sententia est iuta, & sub n. 16. allegatis pro ipsa S. Th. Scoto, Suarez, aliisque pluribus magni nominis Theologis, subiungit: Et tandem eam probat, & admittit Ecclesia, quod non permitteret, si iuta non esset, exponendo periculo invaliditatis Sacramentum cum damno toranimarum, adeoque non includitur (ut falso pretendit noster Theologus) in propositione prima ex damnatis ab Innocentio XI. quae dicit: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilium de valore Sacramenti, relicta iustiore, &c.* quia decretum loquitur de propositionibus mere probabilibus, & non de nostra quaestione, super qua adest specificum decretum Alexandri VII. supra relatam, quod praecipit, quod nullus audeat illam censuram Ecclesiasticam taxare, donec à S. Sede hac in re fuerit definitum aliquo. Hæc ad litteram ille, qui egregium suum opus satis, superque probatum absque ulla minima censura Romæ typis tradidit. Decretum autem Alexandri VII. iam fuit allatum supra n. 8. à me refertur etiam à Benedic. XIV. loc. cit. num. 9. ubi subiungit: *Caveant proinde Episcopi, ne in suis Synodis, aut Instructione Sacerdotum, quæ Synodis, quandoque attestant, aliquid devertant, aut de attritionis mere servilis ad Sacramentum Penitentia sufficientia, aut de amoris saltem initialis necessitate: Adhuc quippe sub iudice illis est, adhuc impune pro una, & altera sententia dimicant. Et deinde refert Card. Gottum non requirentem in Penitentia amorem Dei, ne initialem quidem ad justificationis gratiam in Sacramento Penitentia assedant, & Claudium Frassen, opera, & cura Patris Caroli Jacobi Romilli Ordinis Minorum Conventualium Generalis Ministri Romæ typis recussum, strenue defendentem, attritionem ex solo metu penarum, & gehennæ, atque ex amore concupiscentiæ, seu affectu spei conceptam, modo supernaturalis sit, omnemque excludat voluntatem peccandi, esse sufficientem dispositionem ad Sacramentum Penitentia fructum in se derivandum: relatisque aliis in cit. c. 13. hinc inde diversa sententiis, sic sub dict. num. 9. expresse concludit: Hæc recte intulit Berti Theologus tom. 7. lib. 34. cap. 5. nihil hactenus à Sede Apostolica de hac quaestione decisum, sed libertatem cuique datam ex præfatis opinionibus, eam eligendi, ac docendi, quam maluerit. Et tamen Theologus noster indebite hic arguit me, quamvis Ego supra num. 10. sic expresse tradam: Quibus positis, opinor, non scrupulandum, & ipsummet supernaturalem attritionis actum ex sui natura, vel expresse, vel implicite secum semper ducere aliquem Dei amorem. Movetur enim penitens per attritionem ad aversionem à peccatis, & conversionem ad Deum, estque illi supernaturalis dolor de peccatis, eo quia ipsis, quatenus Dei offensæ debita est poena, atque ideo ad dolendum movetur penitens de peccatis, prout sunt offensæ Dei cum proposito observandi deinceps illius mandata, & similia. Hæc autem non videntur posse concipi absque aliquo Dei amore explicite, vel implicite, formali, seu virtuali, ac quin vebant secum dilectionem in Deum, ut avertat à penis, & se misericordem ostendat. Unde iuxta D. Augustin. lib. 14. de Civitate Dei, cap. 7. & S. Thomam in suppl. quest. 2. art. 1. Dolor in amore fundatur rei illius, de cuius jactura dolemus. Igitur &c. Necnon in præfato sensu varia infra posita intelligenda sunt. Quæ omnia, si attente, & integre, ut debuerat, percussisset Theologus, ut iuxta pro similibus mandat Benedic. XIV. in const. Sollicita, ac provida §. 18. à dicta injusta censura se abstinere debuisset. Insuper Benedic. XIII. in Appendic. ad Concilium Romanum Instr. part. 3. del dolore sic expresse tradit Interrogat. quali di questi due dolori è necessario per la Confessione?*

Respons. Confess. Il sentimento oggi comune è,

che il dolore è contrizione perfetta è buona, ma non necessaria per la Confessione, bastando il dolor imperfetto, cioè l'attrizione, è pura già spiegata di sopra, è al più quella, che è congiunta con qualche amor benevolo verso Dio; il che rimane ancora indeciso sin'ora dalla Santa Sede.

Circa autem id, quod ibi sub n. 43. allegat Theologus ex Scoto in 4. dist. 18. §. 20. quest. unica. Videatur Celeberrimus noster Matrius fidelissimus Scoti interpretes in 4. disp. 5. quest. 6. art. 1. n. 137. §. sequent. Et art. 2. fere per tot. & signanter sub num. 134. dicti primi articuli, ubi sic expresse tradit. Et hic notandum est; sub nomine penarum non solum comprehendit poenam eternam Inferni, sed etiam poenas temporales Purgatorii, & hujus vitæ, v. g. pestis, famis, & belli, vel alterius damni, quod Deus sæpe punit peccata etiam in hac vitæ, & quidem Deus minatur, & poenas æternas, & temporales hujus vitæ ad homines deterrandos, ut ex metu poenæ fugiant culpam, ac proinde timor hujusmodi laudabilis est, ac honestus, etiam metus poenæ temporalis; hoc enim timore utiliter concussi Ninivitarum ad Jonæ prædicationem terroribus plenam, penitentiam egerunt; Ubi tamen adveniendum est, poenam hujusmodi metuendam, ut à Deo infligam, vel insipientiam, prout expresse tradit Ego per verba supra adducta art. 3. num. 10. ubi in fine sic insuper concludo. Necnon in præfato sensu varia infra posita veniunt intelligenda. Quæ omnia si attente observasset, ut debuerat Theologus, non potuisset indebite, & injuste redarguere me sic dicendo: *Ita ne mi Lucii fideles penitentes instruendos putas?* Cum Ego non sic instruendos Fideles penitentes putem, ut falso putat Theologus dicendo qui ergo de peccato ea unica de causa dolet, qui timet &c. Ego enim non ea unica de causa admitto sufficientiam illius doloris, sed volo, quod insuper includat aliquem Dei amorem, saltem initialem, ut patet ex præfatis verbis supra relatis, non obstante, quod dictum amorem Dei initialem negent requirit clarissimi Auctores, ut Card. Gottus, Frassen noster supra relati, Henno noster, plurimi alii, ut eruditissimus omnibusque satis, superque competentum est; & Benedic. XIV. vetet Episcopis, aliquid decernere, aut de attritionis mere servilis ad Sacramentum Penitentia sufficientia, aut de amoris saltem initialis necessitate &c. Et Clarissimus Pater Berti asserat libertatem cuique datam ex præfatis opinionibus eam eligendi, docendi, quam maluerit. Et eni, mi Theologe, quomodo Ego Lucius fideles penitentes instruendos putem, quod à me sic traditum, si attente, & totum in omnibus, ut debueras, observasses, certe non sic indebite, immerito, ac injuste censurasses. Insuper quoad Scotum pro se allegatum à nostro Theologo, videatur classicus noster Scotista Henno tom. 2. tract. de penitentia disp. 4. quest. 6. art. 6. ubi diversimode ac Theologus Scotum adducit, & per propria verba ipsum explicat. Et quoad id, quod sub dict. num. 43. subiungit Theologus, nempe: *In hac opinionem propensos fuisse Tridentinos Patres facile patet, contrarium sentit, ac refert Henno l. c. art. 4. conclus. unica, ibi: Probatur tertio sic ex historia Tridentina Pallavicini ibid. 12. cap. 10. ubi refert, postquam formatum fuisset decretum, ubi de attritione dicebatur: cum sine aliquo dilectionis motu esse vix queat, reformatum esse ad instantiam Episcopi Tudetani, qui monuit, falso dici, hujusmodi dolorem sine amore vix concipi posse: ergo evidens est ex mente Tridentini, non includi aliquem Dei amorem in præfata attritione. Hæc ille, qui in art. 5. sequent. adducendo cum sua solutione objectionem ex eodem Card. Pallavicino producam sic prosequitur.*

Dices ex Pallavicino supra n. 26. Tridentinos Patres jussisse expungi sic cap. 4. hæc verba: *verum etiam*

etiam sufficere, scilicet attritionem ad Sacramentum hujus institutionem, & hoc ad instantiam Episcopi Tudetani momentis circa sufficientiam attritionis non convenire Doctores: ergo signum est, quod non crederentur esse dispositionem proximam.

Resp. 1. Pallavicinum solum instantiam illius Episcopi referre tamquam causam motivam illius dilectionis, quia illa sola forebat suæ opinioni, quæ ultra attritionem aliquem Dei amorem requirebat. Verosimiliter est tamen, motos fuisse Patres, maxime à rationibus sequentibus, ac primo, quod modus ille loquendi esset improprius, quum pars non dicatur proprie sufficere ad constitutionem totius. Secundo, & præsertim, ne fieret præjudicium sententiæ Doctoris subtilis admittentis, in sola absolutione consistere totam essentiam hujus Sacramenti, quod colligo ex eodem Pallavicino n. 27. ubi tradit, diligenter examinatum fuisse, quibus verbis actus penitentis declaratur partes hujus Sacramenti sine præjudicio opinionis Scoti, quam Florentinum reliquerat intactam, & tandem resolutum est, quod diceretur *quasi materia*. Quidam etiam illa verba expungi curaverunt, ut salva maneret ejusdem doctoris sententia alias condemnanda?

Resp. 2. Quis melius potuit nosse, Tridentini mentem, an Pallavicinus qui ex actis mortuis 100. annis à Concilio celebrato suam tenuit historiam, an illi, qui Tridentino interfuerunt, materiam proposuerunt, discussurunt, ventilarunt, resolverunt? Ecce tamen ex his nonnulli, qui tantum abest ut dicant, Concilium abstraxisse per illam expunctionem à difficultate hic agitata, ut ex Pallavicino colligam Vanroy, Henricus à S. Ignao, & alii, quin è contra fortiter sustineant doctrinam suam, quæ nostra est, doctrinam esse Concilii. Immo adhuc viventibus Tridentinis Patribus, docuerunt Paulus à Palacio circa annum 1564. Michael à Palacio Frater ejus, circa annum 1579. Molina circa annum 1548. conclusionem nostram esse à Tridentino definitam. Alii à Tridentino esse approbatam, Tridentino consonam, à Tridentino determinatam, contrariam autem repugnare Tridentino. Mirum autem esset, Concilii Patres superstitibus videntes sepe hæc nostræ conclusionis doctrinam, ut Concilii auctoritate munitam per omnes Europæ Academies (verba sunt P. Notæ) & tamen nullus dixerit, falso Tridentini auctoritate muniti, Concilium indecisiu reliquisse hæc controversiam. Fieri ne potuit, ut nullus se objecerit torrenti scriptorum abutentium auctoritate Concilii in re tanti momenti? Numquid prævidere poterant, quod ex eorum silentio dictori essent aliqui (quod de facto accidit) hæc doctrinam esse evidentem, præfate iutam, præfate veram, doctorum fere unanimem, certam inter Auctores Catholicos &c. Unde,

6. Concludo, quod etsi Patres illi non crederent forte decisam, sciebant tamen fuisse in Concilio ita communem, ita receptam, ac tanti momenti, & ponderis, ut non crederent, fere universali Scriptorum multitudini esse contradicendum; alias prorsus inexcusabiles fuissent. Unus quippe, aut alter eorum, qui Concilio interfuerunt, sustinerant etiam postea alicujus amoris necessitatem, sed cum viderent Patres superstitibus, hoc nullatenus ob stare torrenti doctrinam suam in doctrina Concilii fundanti, occurrere debeat errori, manifestando, materiam præsentem nihil ex doctrina Tridentini habere roboris; quod tamen ne unus eorum fecit. Immo, ut jam dicemus, Catechismus imprimi curarunt, quibus attritionem sufficere declarabatur.

7. Probatur secundo conclusio ex eodem Concilio sess. 14. cap. 4. Contritio in genere est pars hujus Sacramenti: ergo & attritio; quod enim convenit generi, convenit & speciei.

8. Probatur tertio ex Catechismo Concilii, seu Romano ad veram contritionem tantum requirente con-

ditiones sequentes, scilicet detestationem & dolorem peccatorum commissorum, voluntarem sinceram peccata confitendi, & pro eis satisfaciendi, firmum melioris vitæ propositum, desiderium obediendi Dei mandatis, voluntarem restituendi, denique injuriarum condonationem, atque vere attritus sine amore Dei, cujus non meminit Catechismus, præstat illa omnia: ergo &c.

Et postea addit, quod licet Parochi possint alia exigere, puta amorem Dei &c. quibus efficiant, ut Contritio sit magis perfecta, & absoluta, verum adeo necessaria existimanda non sunt, ut sine his vere, & salutaris penitentia ratio constare non possit. Hujus Catechismi auctoritas magni faciendæ est, cum ex commissione Tridentini compositus fuerit ab illis, qui eidem interfuerunt, quique ejus mentem optime noverant, & quidem longe melius, quam omnes alii Historici, qui non nisi ex aliorum auditu, & relatione de rebus in eo gestis scripserunt. Videatur insuper Celeberrimus P. Liberius in tract. de Penitent. ubi diffusissime totum probat, solvitque omnes objectiones.

In eod. articulo de Penitentia n. 48. asserit Theologus: Non est ergo audiendus Honoratus Touenley qui de amore concupiscentiæ, & spei locutus fuisse Tridentinos Patres affirmat. Nec etiam Gabriel Antoine, qui postquam probavit necessitatem initialis Charitatis, ad declinandam fortasse aliquorum invidiam, concludit, sufficere amorem, quo Deus diligitur præfate ex motivo spei, seu concupiscentiæ. Bone Deus! Theologus hic jam bis ann. scilicet 1752 & 1757. Theologiam moralem celeberrimi Patris Gabrielis Antoine Romæ cum debitis approbationibus sine ulla sua censura quoad hæc typis traderat ipsum sequens in omnibus; modo in editione promissa meæ Bibliothecæ (quod ad eum non pertinebat), vult, Antoine non esse audiendum, dum concludit, sufficere amorem, quo Deus diligitur præfate ex motivo spei, seu concupiscentiæ, non reflectens, quod sic militat contra se ipsum, qui cum eadem ipsissima conclusione bis Romæ typis traderat ipsam Antoine Theologiam, adeoque volendo, non esse in hoc audiendum Antoine, vult implicite nec audiendum esse seipsum, quia jam bis, tamquam factam suam ipsam conclusionem sine ulla censura probaverat, typis ipsam tradendo, ut jaceret. Et à fortiori non est ipse Theologus audiendus, cum dicit, Antoine sic conclusisse ad declinandam fortasse aliquorum invidiam, quod non parum detrahit nedum aliis, sed & ipsimet Antoine, quasi ad declinandam aliquorum invidiam voluerit ipse contra propriam conscientiam à veritate declinare, cum ipse tamen potius suam conclusionem consenserit magis veram, quam illam adversariorum, sciendo, suam esse suffultam tum ratione intrinseca, tum extrinseca tor classicorum Auctorum Romæ, & alibi cum debitis approbationibus sine ulla censura impressorum à laudato Benedic. XIV. de Synod. Dioces. lib. 7. c. 13. allegatorum, & passim ab aliis, quamvis non desint contrarium sentientes; eo vel maxime quod nullorum invidiam poterat sic concludendo incurrere, cum inniteretur decreto Alexandri VII. dicentis, talem conclusionem hodie inter Scholasticos communionem videri, & vetantis sub poena excommunicationis late sententiæ neutram ex contrariis circa id sententiis aliqua censura, injuria, aut contumeliæ nota taxare, donec à S. Sede fuerit aliquid in hæc re definitum.

Ibidem n. 53. notat, & asserit Theologus. Auctor n. 16. ex Gobat, & Lessio, ait, sufficere ad justificationem in hoc Sacramento etiam remississimum dolorem, dummodo verus dolor sit ex motivo supernaturali. Si dolor hujusmodi peccati affectum excludat, non dubito, quin sufficiat, cum quandoque sensibilis apparere possit dolor remississimus. Sed

ad quid hæc nota Theologi, cum sit hæc ipsissima mea conclusio dicendo ibi sic: Si nihil aliud desit, quam intentio, & dummodo sit verus dolor de peccatis conceptus ex motivo supernaturali cum absoluto proposito non peccandi de cetero. Nonne clarissime ego ostendo, dolorem hujusmodi debere excludere affectum peccandi?

12 Ibidem n. 54. notat, & censurat Theologus, quod Auctor n. 95. dicat, non peccare penitentem contra integritatem Confessionis, si uni Confessario mortalia, & postea alteri bonam opinionem de ipso habenti nimia verecundia affectus confiteatur sola venialia &c. Ast hæc mea conclusio, prout jacet, id est, non peccare penitentem præcisè contra integritatem Confessionis, est suffulta auctoritate Concilii Trid. peccata enim venialia non sunt materia necessaria; Unde penitens non tenetur, ad integrandam Confessionem, ipsa confiteri primo Confessario, ut expresse docet dictum Trid. sess. 14. cap. 5. ibi: Taceri tamen circa culpam, multisque aliis remediis expiari possunt. Vide tradita à me, ibi, & Auctores, à me allegatos, ultra quos id tenent etiam Suarez, Layman, Enriquez, & Raynaud. Lugo, Castropal. Dicastil. Diana, Burgh. Gormaz, & reliqui omnes teste Arriaga, dist. 31. n. 23. & la Croix lib. 6. part. 2. n. 1186. & etiam Pontas, verb. Confessio. casu. 26. adducens ad id Tridentinum à me citatum.

13 Ibidem n. 55. notat, & asserit Theologus, Probat Auctor n. 127. P. Vivæ, aliorumque opinionem qui ajunt, circumstantiam consuetudinis per se loquendo, aperiendam in Confessione non esse; sed per accidens tantum, dum scilicet de ea penitens à Confessario interrogatur, & dicit ibi Theologus, quod est manifestanda necessaria talis consuetudo, quod innuere proculdubio voluit Innocentius XI. dum hanc propositionem damnavit: Non tenetur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem. Ast, si ut præcedit Theologus, id innuere proculdubio voluerit Innocentius XI. in damnata propositione, certe dictam sententiam non amplius tradidissent tot celebres Auctores, qui adhuc post dictam damnationem eam defendunt, ac propugnant, scientes, & non contradicente S. Sede, ut præter censentes in conclusione, pergunt adhuc eam libere sustinere Celeberrimi Salmaticenses tract. 1. c. 8. punct. 41. n. 67. citantes insuper Castropalaum, Dianam, Liberium de Sacram. Penit. tract. 5. disp. 6. §. 4. n. 78. cum plurimis aliis; & alii passim, ut, revera id propugnant adhuc plures classici Theologi, ut eruditissimus compertum. Eo vel maxime, quod Ego dico, quod quamvis circumstantia consuetudinis per se loquendo non sit necessario aperienda in Confessione, tamen interdum per accidens obligatur penitens ad talem circumstantiam consuetudinis aperiendam; quæ obligatio præsertim urgere potest, cum penitens cognoscit, quod Confessarius ex reticita tali circumstantia consuetudinis, non satis percipiat suum statum pro formando recto iudicio de sua dispositione ad obtinendam absolutionem.

14 Ibidem n. 56. notat, & ait Theologus: Placet notare, ac refellere, quod Auctor n. 148. scribit de eo, qui circumstantiam speciem mutantem inculpabiliter omiserit, quam ita debeat postea in alia Confessione aperire, & non teneatur fateri peccatum, si sola declarati circumstantia possit. Quis namque sanæ mentis homo concipiat, quod fieri id rite possit? Ast nedum quis, sed quilibet homo sanæ mentis concipere potest, fieri id rite posse, Si enim quis voto castitatis obstrictus heri confitens, & inculpabiliter non reflectens ad circumstantiam sui voti dixisset, Rui fornicatus, satisfaceret hodie dicendo, se graviter peccasse contra votum castitatis, quia jam expressit utramque malitiam, & una potest sine altera intelligi, ut sic posse intelligi tradunt Henno

de Penit. disp. 5. quest. 9. conclus. 2. Sporer tom. 3. cap. 3. num. 406. Clericus, de Penit. decis. 26. n. 20. cum plurimis aliis, Navarr. Enriq. Sanchez, Bonac. Arriaga, Bosco cum La Croix lib. 6. p. 2. n. 135. & cit. n. 1209. testans insuper de communi, quos tam sanæ mentis fuisse puto, ac possi esse nos- ter Theologus.

Ibidem n. 57. notat, & dicit Theologus: De Confessionis integritate periculo non caret, quæ n. 142. & 143. ejusdem articuli secundi exposita, atque probata sunt, nempe dum scripsit: non iterandam Confessionem bona fide factam vel Confessario ita ignorare, & indocto, ut inter mortale, & veniale discernere nequeat, vel factam Confessario surditate, semidormienti, vel distracto, qui aliqua peccata, etiam mortalia non intellexit sine omni culpa penitentis. Sed ad quid aliud tenetur penitens pro integritate Confessionis, quam omnimoda prævia requisita dispositioni omnia sua peccata bona fide confiteri? Quilibet enim Confessarius approbatus censendus est idoneus, nisi certo constet de opposito, quod in casu præsertim nullimode constat penitenti bona fide tali Confessario confesso; sicut etiam ei non constat, quod Confessarius fuerit surdastus, semidormiens, vel distractus, dum, ut cantat mea conclusio, penitens est ei bona fide confessus; aliter, stante Theologi opinione, poneretur inter non paucas angustias penitentes, qui possent dubitare semper de sufficienti scientia Confessarii, aut de ejus distractione, semidormitione, aut semidormitione. Stare quidem Theologi opinio, si id penitens mala fide egisset, prout jam ego expresse conclusi ibi. n. 143. falso à Theologo notatus, fortasse ex errore Typographi loco 144. ubi ego insuper sic subjungo: quod si penitens postea advertat, tenetur in sequenti confessione ea sola repetere, quæ probabiliter iudicat, aut cognoscit, non fuisse audita, cognita, ac percepta, & n. sequent. 145. alia superaddo ad rem ibi videnda, & observanda.

Ibidem n. 60. notat, & ait Theologus: Circa tertium articulum de satisfactione, quemadmodum corrigendus Ferraris est n. 16. asserens oppositum, & ob eandem rationem improbandum videtur, quod n. 22. asseritur de eo, qui sine animo satisfaciendi pro injuncta penitentia, opera illa fecerit, quæ injuncta à Confessario fuerat. Ast quod improbandum videtur nostro Theologo, approbatur, & traditur expresse ab innumeris fere Theologis classicis Auctoribus, ut patet ex à me adductis ibi: & sub verb. Intentio à num. 50. ad 54. & ex traditis novissime ab Eruditissimo D. Alfonso de Liguori nell' istruzione, & pratica per li Confessori italico idioma impressa in Venezia 1759. nella Stamperia Remondini, ubi cap. 6. ponto 3. §. 1. dell' obbligo di sentir la Messa, n. 27. sic expresse concludit. Inoltre basta aver l' intenzione di adempire l' opera comandata, e non importa, che non s' abbia intenzione di soddisfare al Precetto, onde chi già avesse ascoltata la messa, ben à soddisfare, benchè non avesse saputo, esser quello giorno di festa (è lo stesso dicasi de voti, giuramenti, & Penitentia Sacramentale, purchè l' opera commessa nel voto, & ingionta per penitentia, non si applichi per altro fine) anzi soddisfa, sebbene avesse avuta espresse intenzione di non voler adempire il precetto, secondo la sentenza comunissima, è più probabile del Suarez, Lessio, Sanchez, Castropal. Tournely, Pontas, Valenza, Vasquez, La Croix, Salmaticensis. La ragione è perchè chi volontariamente adempire l' opera comandata, necessariamente ancora già soddisfa al Precetto: ed ivi scioglie anche la obbiezione. Et idem etiam expresse concludit nell' Appendice 3. art. 3. §. 2. num. 75. ibi. Communissime autem & probabilius cum Suarez, Castropal. Lessio, Tournely, Pontas, Vasquez, & La Croix cum aliis,

allis, non requiritur intentio satisfaciendi obligationi, immo recitans, implet, etiamsi positive intendat nolle implere, quia implens non potest non implere, quum satisfactio non pendeat à sua, sed à voluntate legis Ecclesiast.

17 Ibidem n. 61. notat & subjungit Theologus: ac multo minus ferri potest, quod n. 34. adstruit, scilicet imponi posse pro penitentia opus aliunde præscriptum. Audiatur Gabriel Antoine de Penit. art. 3. q. 3. Ast audiatur, & videatur etiam plurimi alii classici Auctores aliter sentientes, & signanter Petrus Colet de satisfactione cap. 7. §. 3. conclus. 4. qui licet non melioris Ethices Auctor sic expresse concludit: Potest injungi opera aliunde præcepta in satisfactionem delinquer. Clericus de Sacram. Penit. decis. 34. num. 10. dicens: Primo, quod possunt imponi opera quantumvis alia debita ex præcepto, ut auditio missæ die festo, jejuniium in Quadragesima. Henno tract. de penit. disp. 6. q. 7. ibi: Petes 3. An possit imponi onus aliunde præceptum? Resp. affirmative cum Theologis communiter. Reiffenstuel tom. 2. tract. 14. dist. 10. quest. 2. n. 28. Felix Potestas tom. 1. part. 4. de Penit. cap. 4. n. 3192. ibi. Potest imponi pro penitentia opus alias debitum ex præcepto, voto, v. g. jejuniium in Quadragesima. Mastrius Theolog. Moral. dist. 21. q. 11. num. 172. Aretinus, Poncius, & alii Scotistæ; Roncaglia, Lugo, Amicus, Aversa, Libertus, Suarez, Basembaum, Sporer, & novissime laudatus Alfonso de Liguori, loc. cit. cap. 16. pont. 4. num. 53. ibi: Può bene anche darsi in penitenza qualche opera; alla quale il penitente è già obbligato, come, di sentir la Messa nella festa, digiunare nelle vigilie, secondo anche comunemente dicono Soto, Layman, Sanchez, Valent. perchè tal opera estendo soddisfactoria allora si eleva per mezzo del Sacramento al merito di soddisfazione Sacramentale; & sic alii communiter in sensu meo conclusionis. Legantur enim attente quæ ego tradidi ibi n. 34. 35. & 36. ubi sic concludo: Ordinarie tamen, & cessante justa causa, non sunt imponenda pro penitentia opera aliunde jam præcepta, & debita, sed opera supererogatoria, & aliunde indebita. Hinc censeant eruditi lectores, an id fieri possit, ac debeat à nostro Theologo?

18 Ibidem n. 63. notat, & asserit Theologus. Animadversione digna occurrit. Primum n. 25. ubi eximitur ab onere iterandæ Confessionis penitens, qui inculpabiliter, vel culpabiliter injunctæ penitentia oblitus, eandem prætermisit, sed sufficere asseritur, ut in alia Confessione peat sibi imponi aliam congruam penitentiam pro peccatis, quæ confiteri solet. Alterum occurrit n. 31. ubi inter causas minuendi penitentiam, Jubilæum, & indulgentia recensentur. Id vero jam refutatum est in nostra de Indulgentia Appendice. Ast dignetur benignus, & eruditur Lector ponderare rationes, & Auctores à me sub dict. n. 25. allatos, & novissime alios idem sentientes, & signanter cit. D. Alfonso de Liguori, quia in suo opere italice impresso novissime, an. 1759. cap. 6. ponto 4. §. 1. n. 59. sic tradit expresse: Si dimanda per 2. A che sia tenuto il penitente, che si ha dimenticata la penitentia? Altri, come Bonac. S. Antonin, &c. vogliono, che sia tenuto à ripetere la confessione per far intero il Sacramento. Ma comunemente è molto, & forse più probabilmente lo negano Suarez, Vasquez, Layman, Castropal. ed' altri, è ciò ancorchè colpevolmente se ne fosse scordato, come dicono Soto, Navarr. Lugo, Salm. Croix Holam. &c. perchè in tal caso da una parte la penitentia si è renduta impossibile, è dall' altra è molto dubia la legge, se debbano ripetersi i peccati già una volta direttamente assolti, affm di dare intero il Sacramento; digneturque etiam benignus, & eruditus Lector ponderare rationes, & Auctores à

me sub dict. num. 31. allatos, & à me tradita sub verb. Indulgentia art. 3. n. 4. ad 8. inclusive cum S. Thoma, S. Bonav. aliisque plurimis classicis Doctoribus ibi allegatis; & omnibus attentis, atque integre perpensis, pronunciet, an animadversione digna sint ibi à me tradita cum tot celeberrimis Auctoribus, vel potius à Theologo notata? Eo vel maxime quod eruditissimus P. Ubaldo Giraldi cum suo Maschat. Institutiones Canonice Editionis Romanae 1757. tom. 2. lib. 5. tit. 58. n. 5. sic expresse concludit: Penitentia minor imponi potest, si eo die occurrat aliqua indulgentia, præsertim plenaria, dummodo penitens ad eam lucrandam necessaria præset. Quamvis ipse, quod mirum est, unus ex Revisoribus probaverit indebitam censuram nostri Theologi. †

PENITENTIARIA APOSTOLICA.

PENITENTIARIUS MAJOR.

PENITENTIARIUS facultates late traduntur à Benedicto XIV. tom. 1. constit. 95. incip. Pastor Bonus: Penitentiarie Apostolicæ facultates Sede vacante absolventi à quibuslibet censuris, & dispensandi in foro conscientia, & ad tempus, perseverant juxta disposita ab eodem ibi §. 51. Pro foro tamen externo conquiscescit, præterquam quoad Regulares, & Moniales, & quoad absolutiones cum reincidencia. Idem ibid. §. 53.

Penitentiarie Apostolicæ Officiales sunt Major Penitentiarius, Regens, Theologus, Datarius, Canonista, Corrector, Sigillator, Procuratores, seu Secretarii tres, & Scriptorum Ordinarii idem tres cum additione unius Procuratoris, & unius Scriptoris. Idem constit. 95. incip. In Apostolica Penitentiarie, §. 2. per tot. ubi assignantur eorum qualitates, manera, & emolumenta, & alia eos concernentia. Et §. 21. statuit de Signatura Penitentiarie, interestentia Officialium, methodoque in ea servanda.

Ad Penitentiarie Apostolicæ Scriptorum officium non debent admitti, qui alienis servitiis, vel alteri incompatibili officio addicti sint. Idem tom. 2. constit. 41. incip. Quamvis: Idem injungitur, ut Procuratorum, seu Secretariorum officia frequentent. Idem ibi. Penitentiarie Apostolicæ Secretarii, seu Procuratores, ipsius officii praxim didicisse debent in prævio executionis muneris Scriptoris. Idem ibi. Tam Procuratores, quam Scriptores, per Concursum eligendi sunt. Idem ibi. Penitentiarie Majori R. E. Cardinali injungitur præmissorum executio. Idem ibid.

Penitentiarie expeditiones omnes secreto, & gratis fiunt. Idem cit. const. incip. In Apostolica, §. 22. Penitentiarie emolumenta unde sumenda, & quomodo administranda assignat. Idem ibi §. 29. & seq. Superflua applicantur Hospitio pauperum invalidorum de Urbe. Idem ibid. §. 33. Penitentiarie archivum publicum, & secretum, omni diligentia disponendum, & custodiendum constituitur, Idem ibi §. 37. & seq.

Major Penitentiarius unus ex S. R. E. Cardinalibus debet esse Presbyter, & in Theologia Magister, seu decretorum Doctor à solo Romano Pontifice per litteras eligendus. Ipso è vita discedente tempore Sedis vacantis, tunc à majore numero Cardinalium per secreta suffragia eligendus est alius Cardinalis. Penitentiarius ad ejusdem Sedis vacantis tempus. Idem ibi §. 3. & 4. Præcipuum Majoris Penitentiarie munus consistit in recto, ac prudenti exercitio facultatum sibi concessarum. Et in quatuor diebus Majoris hebdomadæ, Dominica quidem Palmarum in Basilica S. Joannis in Laterano, Feria vero quarta in Basilica S. Marie Majoris, & quinta, & sextis festis in

- in Basilica S. Petri Vaticana Fidelium confessiones in Sede ad id constituta excipere, necnon capita pie sese submittentium virga Penitentiarum tangere, Indulgentiam centum dierum ipsis impartiendo, juxta facultatem eidem concessam in alia const. incip. Pastor Bonus: Præterea tribus anni diebus, videlicet Feria quarta Cinerum (qua die ipse Cinerum capituli Summi Pontificis, Cardinalium, ceterorumque assistentium inspergit) & mane Feriæ sextæ in Parasceve, & die Commemorations Fidelium defunctorum, solenni ritu rem divinam in Pontificia capella peragere. Et ad hæc Romano Pontifici in supremo vitæ agone constituto, ad spirituales eidem in tali articulo ferendam opem, assistere; Idem ib. §. 5.
- 17 Major Penitentiarum Minores Penitentiarum in tribus Basilicis Urbis in Ecclesia Laurentana, ac pro anni Sancti tempore in Basilica S. Pauli, aliisque Urbis Ecclesiis deputat; ib. §. 6. Majori Penitentiarum assignantur emolumenta centum scutorum auri pro quolibet mense. Et aliorum 200. annuorum monetæ è superfluis Penitentiarum emolumentis. Idem ib. §. 8. & 9.
- 21 Penitentiarum major potest consulere Papam etiam in prohibitis, & ei de vivæ vocis oraculo asserenti est fides habenda. Idem in cit. const. 95. incip. Pastor bonus, §. 5. Penitentiarum Majoris facultates à pluribus Pontificibus concessæ colliguntur, & ordinantur ab eod. per tot. dist. Constitutionem. Absolvit enim à peccatis, & censuris. Idem ibid. §. 16. Dispensat super irregularitate. Idem ibid. §. 17. Convalidat titulos beneficiorum condonando, seu componendo quoad fructus male perceptos.
- 26 Idem ibid. §. 20. Remittit, seu condonat alia male percepta, & habilitat ad percipiendum. Idem ibid. §. 25. Relaxat, seu commutat juramenta, vota, & onera. Idem ibid. §. 28. Regulares habilitat, absolvit, & transitus eisdem concedit de una ad aliam Religionem. Idem ib. §. 31. Et eadem respectu Monialium. Idem ibid. §. 36. Dispensat in Matrimonialibus super impedimentis impediens occultis, revalidat dispensationes male obtentas etiam legitimum prolem. Idem ibid. §. 39. Dat facultatem Minoribus Penitentiarum, ib. §. 47. Concedit indulgentiam centum dierum in tactu Virgæ. Idem ibid. §. 50.
- 33 Commissiones Majoris Penitentiarum, vel Pro-Penitentiarum non expirat eo decedente, vel ab officio cessante. Idem ibid. §. 49. Penitentiarum Minores in Basilicis Urbis, & in Eccl. Laurentana deputantur à Cardinali Majori Penitentiarum cum facultatibus ipsius arbitrio. Idem cit. const. 66. incip. In Apostolice Penitentiarum, §. 6. Vide dictas duas constitutiones Pastor Bonus, & In Apostolice Penitentiarum: ubi declarantur supradictæ facultates, & plurima alia statuuntur ad rem.
- 35 Ad Penitentiarum Majorum pertinet supplere negligentiam, tam Ordinariorum Localium, quam Regularium Superiorum Monialium, in deputationibus Confessariorum in casibus à Concilio Tridentino præscriptis, aliisque recensitis in const. 66. incip. Pastoralis; ibid. Penitentiarum Major, etiam vacante Apostolica Sede, Monialibus deputare nequit Confessarios, qui ab Ordinariis locorum pro Monialibus expresse approbati non fuerint; Idem ibid.
- 37 Penitentiarum Minoribus Basilicæ Lateranensis Ordinis Minorum Reformatorum, inopia laborantibus, annui redditus augentur in scutis ducentis, ex officio Sigillatoris Penitentiarum Apostolicæ dismembratis; Idem const. 39. incip. Laborantibus: Item in aliis scutis centum ex redditibus Penitentiarum arbitrio Penitentiarum Majoris alias permissis; Idem ib. Præterea eorum Collegio assignantur mulctæ ejusdem officii Penitentiarum; Idem ibid. Hujusmodi autem assignatio declaratur, quod facta fuerit eorum Collegio per modum elemosynæ. Idem Const. 31. incip. Decret.

Alia ad rem, vide verb. Dispensatio à n. 68. ad fin. PENITENTIARIUS. Vide verb. Canonicus, art. 9. à n. 45. ad 49.

POLLUTIO. Vide verb. Luxuria à n. 35. ad 49.

POLYGAMIA.

SUMMARIUM.

- P**OLYGAMIA, seu uxorum pluralitas duplex esse potest, scilicet successiva, & simultanea.
- 1 Polygamia successiva qua sit.
 - 2 Qui duas uxores successive habuit, dicitur Bigamus, si tres dicitur Trigamus, si quinque dicitur Quintogamus, si octo dicitur Octogamus; & sic de aliis.
 - 3 Polygamia simultanea qua sit.
 - 4 Hæc simultanea pluralitas uxorum est vera, & propria polygamia, de qua in prætexti sermo.
 - 5 Et quidem pluralitas successiva uxorum valida est, & licita.
 - 6 Polygamia, seu pluralitas simultanea uxorum est jure Divino prohibita.
 - 7 In lege veteri polygamia, seu pluralitas uxorum fuit licita, & permessa.
 - 8 Polygamia autem, seu potius Polyviria plurium virorum simul cum una uxore nunquam, nec in lege veteri fuit licita, & permessa.
 - 9 An poterit Deus in lege veteri, & possit nunc dispensare in hac polygamia, seu polyviria, Multi negativam sententiam defendunt.
 - 10 Affirmativa autem sententia est communis, & probabilior.
 - 11 Circa polygamiam, seu pluralitatem simultaneam uxorum, sicut de facto Deus dispensavit in lege veteri, ita potest, si vellet, dispensare etiam nunc in lege Evangelica.
 - 12 Nullus autem homo, neque Summus Pontifex dispensare potest circa utramque polygamiam, scilicet tam viri cum multis uxoribus simul, quam uxoris cum multis simul viris.
 - 13 Ad evitandam polygamiam, & contrabendum recundum Matrimonium ob mortem alterius conjugis requiritur & sufficit certitudo saltem moralis de morte ejusdem conjugis.
 - 14 Probatur prima pars, quod scilicet requiratur certitudo, & non sufficiat solum dubium, aut probabilis opinio de morte alterius conjugis, nec ejus absentia plurimum annorum.
 - 15 Probatur secunda pars, quod scilicet sufficiat certitudo moralis.
 - 16 Novitia sufficiens, & certitudo moralis de morte alterius conjugis habetur: Primo, si de ea testetur Parochus.
 - 17 Secundo, si adsit attestatio publica, vel authentica.
 - 18 Tertio, si adsint duo testes de visu.
 - 19 In similibus casibus etiam consanguinei, & affines possunt esse testes; excipiuntur tamen ad id interesse habentes, sui aut ipsimet conjuges superstites.
 - 20 Quarto, si cum uno teste de visu, aut cum fama, aut cum pluribus testibus de auditu concurrunt verosimilia indicia, & conjectura.
 - 21 Immo multi volunt sufficere etiam unicum testem de visu.
 - 22 Et probabilior non sufficit unus testis, nisi concurrant aliqua adminicula, & indicia.
 - 23 Item non sufficit sola fama sine aliquo esse dictis indicibus, & conjecturis.
 - 24 Item sine aliquo esse dictis indicibus, seu adminiculis, & conjecturis nec sufficit absentia

- 216
- 217
- 218
- 219
- 220
- 221
- 222
- 223
- 224
- 225
- 226
- 227
- 228
- 229
- 230
- 231
- 232
- 233
- 234
- 235
- 236
- 237
- 238
- 239
- 240
- 241
- 242
- 243
- 244
- 245
- 246
- 247
- 248
- 249
- 250
- 251
- 252
- 253
- 254
- 255
- 256
- 257
- 258
- 259
- 260
- 261
- 262
- 263
- 264
- 265
- 266
- 267
- 268
- 269
- 270
- 271
- 272
- 273
- 274
- 275
- 276
- 277
- 278
- 279
- 280
- 281
- 282
- 283
- 284
- 285
- 286
- 287
- 288
- 289
- 290
- 291
- 292
- 293
- 294
- 295
- 296
- 297
- 298
- 299
- 300
- 301
- 302
- 303
- 304
- 305
- 306
- 307
- 308
- 309
- 310
- 311
- 312
- 313
- 314
- 315
- 316
- 317
- 318
- 319
- 320
- 321
- 322
- 323
- 324
- 325
- 326
- 327
- 328
- 329
- 330
- 331
- 332
- 333
- 334
- 335
- 336
- 337
- 338
- 339
- 340
- 341
- 342
- 343
- 344
- 345
- 346
- 347
- 348
- 349
- 350
- 351
- 352
- 353
- 354
- 355
- 356
- 357
- 358
- 359
- 360
- 361
- 362
- 363
- 364
- 365
- 366
- 367
- 368
- 369
- 370
- 371
- 372
- 373
- 374
- 375
- 376
- 377
- 378
- 379
- 380
- 381
- 382
- 383
- 384
- 385
- 386
- 387
- 388
- 389
- 390
- 391
- 392
- 393
- 394
- 395
- 396
- 397
- 398
- 399
- 400
- 401
- 402
- 403
- 404
- 405
- 406
- 407
- 408
- 409
- 410
- 411
- 412
- 413
- 414
- 415
- 416
- 417
- 418
- 419
- 420
- 421
- 422
- 423
- 424
- 425
- 426
- 427
- 428
- 429
- 430
- 431
- 432
- 433
- 434
- 435
- 436
- 437
- 438
- 439
- 440
- 441
- 442
- 443
- 444
- 445
- 446
- 447
- 448
- 449
- 450
- 451
- 452
- 453
- 454
- 455
- 456
- 457
- 458
- 459
- 460
- 461
- 462
- 463
- 464
- 465
- 466
- 467
- 468
- 469
- 470
- 471
- 472
- 473
- 474
- 475
- 476
- 477
- 478
- 479
- 480
- 481
- 482
- 483
- 484
- 485
- 486
- 487
- 488
- 489
- 490
- 491
- 492
- 493
- 494
- 495
- 496
- 497
- 498
- 499
- 500

in cap. Gaudemus 8. de divortii ubi ad hoc dicit unam tantum contam in unam tantum foeminam conversam fuisse, & non plures in plures; Ex Concilio Florentino in Decret. pro Armenis; & Coloniensi sub Paulo III. part. 1. cap. 41. ex Concilio Moguntino sub eodem in Decretis Fidei cap. 36. & ex Concilio Tridentino sess. 24. Can. 2. ubi sic est definitum: Si quis diserit, licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla lege divina esse prohibitum, anathema sit; & hoc aperte colligitur ex verbis ipsius Christi Matth. 19. & Marc. 10. ubi expresse docet, esse adulterum eum, qui dimissa uxore, ducit aliam, quod non esse si vivente priori, alia quoque esset Uxor ejus legitima.

In lege veteri polygamia, seu pluralitas uxorum fuit licita, & permessa divina dispensatione ab ipso Deo indicata primis aliquot Patribus, deinde illorum verbo, aut exemplo ad ceteros perventâ. Communis cum Scoto in 4. dist. 33. quest. 1. artic. 2. S. Thoma, & S. Bonaventura ibid. Bellarmini lib. 1. de Matrimo. cap. 11. propositio quarta, & aliis passim. Et probat Scorus ex Genes. 16. & 25. de Abrahamo, qui habuit uxores Saram, Agar, & Ceturam; De Jacob, qui habuit uxores Rachel, & Liam; & de David 2. Reg. 5. qui plures habuit uxores: Credibile autem non est, quod hi Sancti Patres ducendo plures simul uxores fecerint aliquid illicitum, sed potius credendum est, quod illas non accepissent, nisi fuisset illis divina dispensatione, seu inspiratione concessum, & in casu paucitatis fidelium procreantium prolem, ut hoc modo plures mulieres ab uno fecundarentur, & sic proles ad divinum cultum propagaretur, & multiplicaretur. Et de facto Moyses in Deuteronomio, cap. 21. tamquam de re nota, & passim licita loquitur dicens: Si fuerint alicui due uxores, una dilecta, altera odiosa.

Polygamia autem, seu potius polyviria plurium virorum cum una uxore nunquam nec in lege veteri fuit licita, & permessa, Communis cum S. Augustino lib. 3. de doctrina christiana cap. 12. & lib. de bono Conjugator cap. 17. S. Thoma in 4. dist. 33. q. 1. art. 1. ad 7. Scoto in 4. dist. 17. & 26. Bellarm. loc. cit. Et ratio est, quia hæc polygamia, seu potius polyviria adversatur fini primario Matrimonii, qui est propagatio prolis, & educatio ejusdem, & ex plurium virorum concubitu cum eadem muliere, vel nunquam proles progignitur, vel non nisi rarissime, ut notavit S. Augustinus in lib. de bono Conjug. cap. 17. & docet experientia de meretricibus.

An autem poterit Deus in lege veteri, & possit nunc dispensare in hac polygamia, seu polyviria, nempe plurium virorum cum una uxore? Variant Doctores: Negativam sententiam defendunt Bellarminus cit. l. 1. de Matr. cap. 11. proposit. 2. Rosign. in universis de Matrim. controversias contra. XV. de Matrimo. 11. prænot. 15. num. 5. citans ibi S. Augustin. lib. 3. de doctrina christiana cap. 12. & lib. de bono Conjugator. cap. 17. S. Thomam in 4. dist. 33. quest. 1. art. 3. ad septimum, & sic tenent plures alii, ex eo, quia hæc polygamia, seu Polyviria plurium virorum cum una uxore sit contra prima principia Juris naturæ, nec per ullam mutationem circumstantiarum possit fieri bona, cum repugnet omnibus finibus Matrimonii: In iis autem, quæ sunt contra principia Juris naturæ non potest Deus dispensare; secus non essent prima principia Juris naturæ adeoque &c. Affirmativam sententiam, nempe posse Deum in hac polygamia, seu polyviria, dispensare, tenent communis, & probabilis Doctores, ut tenet, & testatur Mastrius in Theolog. Moral. disp. 20. quest. 3. numer. 53. in 3. dist. 36. Et ratio est, quia Deus dispensare potest in aliis quoque præceptis Juris